

Gd. 62.



SCHEDIASMA SEPTIMUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,

A. M C C X C V I I .

Q V O
A D L V S T R A T I O N E M
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S
A U T U M N A L E M ,

D. VII. MENSIS SEPTEMBRIS, A. R. S. CLO IO CC LXXVIII.

HABENDAM,

F A V T O R E S A T Q V E A M I C O S
R E I S C H O L A S T I C Æ

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

J O . P E T R . W A G N E R ,
P R O F E S S O R E T R E C T O R G Y M N A S I I .



W I S B A D I I ,
I M P R I M E B A T I O . S C H I R M E R , A V L . E T R E G I M . T Y P O G R A P H V S .

SCHEIDSMMA SEPTIMVM

DE VITA

ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORVM

A. M. CC. XVII

AN EVSTRATIONEM

GYMNASII IDSTINENSIS

ANNIVERSARIUM

QUINQUEM SEPTENNII A. M. S. CC. LXVIII

HABENDAM

FAVTORES ABOV
REI SCHOLAE

OMNI OBSERVANTIA INSTANT

IO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR RE. DECOR. GYMNASII

WISBADI

IMPRESSIT IO. SCHNEIDER, AUL. ET REG. THEOPHIL.





ACTA A. MCCXCVII.



In *Adolpho* invidia, commune infimis & principibus vitium, quid efficere possit, hoc anno videtur experta. Namque res hoc anno gestæ spectant partim ad bellum contra *Regem Gallie* gerendum, partim ad *conjuratiōnem*, qua illius inimici, cupiditate turpissima impulsī, perniciem nostro machinati sunt. De utraque re commentari est animus.

Neque igitur dubium erat, quin *Nassovius* denuo manum illi negotio admoturus esset quod, cum summæ imperiī præficeretur, susceperat, *Angliæ* ex fœdere pollicitus erat, & Imperio Romano jurejurando confirmaverat, bellum *Galliæ* illaturus, ut provinciæ, Imperio ereptæ restituerentur. Quæ causa fuisse videtur, cur ille nobis sub auspiciis anni in *Alsatia* occurrat: *Landaviæ* enim die V. Jan. privilegia *Xenodochii Noratīngensis* infirmorum a *Rege Ruolopho I.* concessa confirmavit. (a)

Paulo ante vel eodem loco vel ejus vicinia exercuit iudicium, Imperatore dignum. Namque inter *Duces Baviæ* & Cives *Augusti Vindelicorum* superiori anno orta fuerat controversia, quæ multorum malorum causa fuisset, nisi *Adolphus* illam pullulantem opprimendi cepisset consilia. Itaque *Cæsar*, ubi hæc audivit, legatos cum mandatis mittit, inducias ad *Calendas Jan.* edicit, se *Vindelicis* auxilio fore, quibus fiebat injuria, nisi

T 2

Boji

(a) Daniel Eberhard Dolps gründlicher Bericht von den Kirchen der Stadt Nordlingen, im Anhang n. 64.

Boji ab armis discedant, ac mandatis pareant, comminatur. Hinc *Rudolphus* ac *Stephanus* Bojariæ procuratores, territi potentia & majestate *Cæsaris*, hæcæ pacis condiciones inviti amplectuntur, domumque abeunt. (b)

Neque tamen hoc tempore Rex diu in *Alsatia* commoratus est, sed aliis locis copias augendas, instruendas, sociosque belli Gallicæ conquirendos existimavit. Hæc causa fuisse videtur, cur mense Febr. *Confluentiæ* appareret: quo loco die X. Febr. *Wilhelmo*, Comiti Montensi, qui superiori anno fratri suo *Adolpho*, sine prole mortuo, successerat, ea feuda, quæ ab Imperio de jure habere debebat, contulit, & de ipsis illum investivit. (c)

Circiter idem tempus *Sigfridus*, Archiepiscopus Colonienfis posuerat vitam. Quem cum *Adolphus* multis locis sibi fidelissimum cognovisset, certe ejus mortem graviter tulit. Cui igitur Ecclesiæ ut vir dignissimus præficeretur, qui *Nassovio* faveret, suamque dignitatem ex parte deberet, ipse principio mensis Maji electioni novi Archiepiscopi *Nussia* interfuit, atque effecit, ut multis principibus suffragantibus, *Wicboldus*, adhuc *Decanus* Ecclesiæ Colonienfis, *Adolpho* & *Regi Anglico* amicissimus, eligeretur. (d)

Neque immemor erat *Rex Romanus* officii, quod *Eduardo* deberet. Quam diligenter *Anglus* de rebus, quæ ad fœdus cum *Adolpho* pertinerent, superiori anno scripserit, satis superque constat. Neque hoc anno quidquam fecit, ex quo conjici possit, illi amicitiam *Adolphi* fuisse suspectam.

Jam die XVII. Jan. equiti de *Terrer* & *M. Richardo* de *Havering* dedit potestatem legationis munere fungendi apud *Adolphum*. (e)

Quorum vero officium fuisse, *Comitem Hollandiæ*, *Eduardi* generum, *Adolpho* nostro, quam diligentissime commendare ex litteris postridie datis facile est intellectu. (f)

Cæte-

(b) *Arventinus* Annal. p. 695.

Werlich in Chron. Augustan. hæc tradit: Nachdem der Kaiser den Partheyen abermats Frieden zu halten auferlegt hatte, &c. &c.

(c) *Teschemacheri* Cod. ad annal. p. 222. Etsi ex initio litterarum colligi possit, Regem RVDOLPHVM eas scripississe, tamen annus regiminis ADOLPHVM nostrum perhibet auctorem.

(d) *Levvold* de *Northof* in Chron. Comitum de *Marca* p. 394. in principio Maji statuta est dies ad eligendum Episcopum Coloniensem in *Nussa*. quia civitas Colonienfis adhuc erat interdicto subjecta. Illic convenientibus Rege *ANDRÉO*, Archiepiscopo *Trevirensi* *Bernardo* & pluribus principibus & magnatibus, electus est *Wicboldus* de *Holte*, *Decanus* Ecclesiæ Colonienfis, procurantibus hoc præcipue *Juliacensi* *Waltramo* & *Eberhardo* de *Marca* comitibus.

(e) *Rymer*. T. A. P. III. pag. 171.

(f) *Idem*. l. c.

Cæterum Rex *Eduardus*, ut antea, ita hoc anno pacis negotio erat intentus, quippe qui die VI. Febr. constituit legatos, qui loco præfinito suo & Regis Romani nomine de induciis & pace agerent. (g)

Quo tempore non magis *Sigfrido*, Archiepiscopo Coloniensi, qui, ut supra diximus, paulo post fuit mortuus, quam Decano *Wickboldo*, quem postea creaverunt novum Archiepiscopum, summam pecuniâ promissam curavit transmittendam. (h)

Neque Pontifex Romanus, *Bonifacius*, voluntatem, quam superiori tempore ostenderat, hoc anno mutavit, sed omnis illius actio per *Cardinales* Ecclesiæ Romanæ nihil aliud fuit, nisi constans pacis studium. Is quidem *Regi Angliæ* persuaserat, ut ab induciis & pacis consiliis non abhorreret: sed tantum aberat, ut mandata illius apud *Philippum* pulchrum valeret, ut hic potius respondendo vehementer in illum investus sit. (i)

Quid igitur mirum, *Pontificem* hac *Philippi* contumacia valde fuisse incensum? Quam ob causam hoc ille sibi sumsit, ut de induciis in biennium præceptis in Gallia per legatos suos promulgaret, atque sententiam excommunicationis, si *Philippus* obflare pergeret, palam denunciari juberet.

At *Rex Francorum* eadem sentiens, quæ antea, non tulit mandata legatorum, significans, se in rebus politicis nemini esse obnoxium, se potius jura sua ab omnibus hostibus acerrime esse defensurum, in Ecclesiasticis autem omni reverentia prosequi *sedem Apostolicam* pro more majorum. (k)

Itaque *Eduardus* videns, spem pacis magis magisque evanescere, cum *Rex Francorum* flagraret bellandi cupiditate, & mente agitaret, *Guidonem* Comitem Flandriæ proxime armis prosequi, omnia belli consilia in *Regem Philippum* convertit. Quam ob causam d. XVII. Maji *Adolphum* fecit certiorum, jam in eo esse, ut ipse mare in *Flandriam* trajiceret exercitum, eo consilio, ut *Adolphus* suas Anglicis conjungeret copias. Qua occasione coram cum *Adolpho* plura agendi spem significabat *Eduardus*. (l)

Cui accedebat periculum, in quo *Comes Barrensis* versabatur qui gener *Eduardi*, partes focieri amplexus erat: postquam enim ille *Campaniam* Francorum invaserat, longe lateque omnia vastans, *Philippus* pulcher contra illum cum imperio mittebat *Gutterum* de *Crejaco*, qui terras *Barrensis* Comitum depopulatus, illum eo compulit, ut ad suas terras defendendas redire coactus sit. (m)

T 3

Qui-

(g) Idem. I. c.

(h) Idem. p. 175.

(i) Schediasma VI. pag. 128. seq.

(k) *Leibnitzii* Mantissa Cod. jur. Germ. P. II. p. 296.

(l) *Rymer*. I. c. p. 180.

(m) de *Nangis* Chron. ad h. a.

Quibus malis *Eduardus* commotus, rursus d. IV. Jun. *Adolphum* implorabat, ut *Comiti Barrensi* valde presso celeriter cum copiis suis auxilio veniret. (n)

Quæ res, dum *Adolphus* auxilii faciebat moram, illi tantæ fuit curæ, ut d. XIII. Aug. auxilium *Comiti Flandriæ & Barre* præstandum iterum iterumque ab *Adolpho* peteret. (o)

Interim venerant legati ex *Burgundia* ad *Adolphum* de injuria Regis Gallici conquesturi, etiam atque etiam rogabant, ut sibi afflictis succurreret: quibus *Rex* promissit, se in mense Julio ante festum Mariæ Magdalænæ cum exercitu esse venturum. (p)

Neque fugiebat *Adolphum*, cum adessent legati Burgundici, *Eduardum* quosdam *Dominos Burgundicos* ad partes suas trahere studere, sicut postea factum est, ut promissa in singulos annos quadam pecuniæ summâ, operam suam *Regi Anglico* pollicerentur. (q)

Atque his *Burgundicis Eduardi studiosis* *Rex Adolphus* suas copias conjungere statuerat, ut promissis satisfaceret. Magnam illarum partem ex *Thuringia & Misnia* ad se revocaverat, ut cum illis *Alsatiæ & Burgundiam* peteret. (r)

Neque dubium est, exercitum ejus illo tempore in finibus Rheni fuisse congregatum: castra illius d. XX. Jun. apud *Weinarten* in Palatinatu erant posita: hoc enim loco & die in castris dedit litteras, in quibus declaravit, quanti merita *Ludovici VII. Comitis Oettingensis* faceret, laudans ejus salubria consilia, quibus *Regi & Imperio* servire non desistat, labores bellicos, quos dies noctesque perpeffus sit, expensas, quas in reipublicæ negotiis, latera ipsius comitando, sustinuerit: pro quibus officiis illi duas donationes, quarum altera mille & centum libris, altera mille libris de redditibus *Nordlingensibus* constabat, honorifice decrevit. (s)

Atque in hac castrorum vicinia facile fieri poterat, ut *Rex* peteret *Oppenheimium*: ubi d. VIII. Jul. *Conradum de Trympurg* pro centum marcis albi argenti *castrensem* apud *Fridbergam* constituit, simulque illi propter grata obsequia adhuc præstita alias centum marcas albi argenti largitus

(n) *Rymer*. I. c. p. 181. *Calmet* histoire de Lorraine T. II. in litteris. p. DXLVI.

(o) *Rymer*. I. c. p. 186.

(p) *Annales Colmar*. ad a. 1297.

(q) *Rymer*. I. c. p. 183.

(r) *Fabricii Sax. origg.* p. 603.

Lehmanni Chron. Spir. p. 572.

(s) *Clarissimi Langii Materialien zur Oettingischen alten und neuen Geschichte.* B. III. p. 154. *Conf. Schediasma V.* p. 108.

gitus est: pro quibus ducentis marcis villas *Grævenhagn*, & *Wisembach* illi oppignoravit. (t)

Eodem loco d. X. Jul. adhuc morabatur *Adolphus*, quo *Gerlaco de Bruberg*, optime de Cesare in *Thuringia* merito, gratum ostendit animum suum: quo quidem tempore, quoniam pro Rege & Imperio damna gravia perpeffus erat, & expensas fecerat, ut ei Rex quatuor millia & quadringentas marcas argenti deberet, illi ejusque filio *Eberhardo* & fratri *Arrv. sio* oppidum *Mosbacum* Suevicum & monetum *Hala* Suevicæ oppignoravit liberalissime. (u)

Quibus auditis, Rex *Francorum* videns, *Adolphum* in bello parando æcerrime esse occupatum, diffidens rebus suis, nihil omisit, quod ad magnas Franciæ urbes mœnibus & portis muniendas pertineret, quod alias fisi sua virtute neglexerant. (x)

Idem metus, qui hoc tempore invaserat *Regem Philippum*, colligi potest ex fœdere, quod cum *Comite Hammonie* contra *Comitem Flandriæ*, Anglorum socium, fecerat. (y)

Postquam autem Rex *Weingarten* *Oppenheimumque* reliquit, se in *Alsatiam* convertit, animo meditans *Regem Galliæ* adoriri. Neque in hac regione *Adolpho* studium defuit, novos amicos acquirendi: hanc ob causam d. XVIII. Aug. in *Cæsaris Monte*, oppido *Alsatia*, *Episcopo Würzburgensi* viginti marcarum millia argenti decernens, varia Imperii bona oppignoravit, ut partes suas sequens, sibi contra *Regem Galliæ* in bello copiis adesset. (z)

Idem inter illa negotia, quæ hoc tempore in *Alsatia* confecit, *Theobaldum*, *Comitem Phivretarum* constituit filius terræ *Advocatum*, illique dedit mandata, ut *Regem Galliæ* impugnaret. Is jussis parens, magno exercitu comparato, Franciam atrociter infestavit. (a)

Qui quidem etsi hoc tempore non multum damni Gallorum Regi intulerit, tamen id effecit, ut *Francorum* Rex ancipiti contentionem distractus, ad fines suos defendendos majorem exercitum parare cogeretur.

At *Adolphus* non solum propter bellum Gallicum, sed etiam novam seditionem in *Alsatia* contra Imperium ortam, eo se contulit. Etsi enim ipse *Albertus* Dux *Auftriæ* hoc anno contra *Nassovium* non cepert arma, tamen

(t) *Senckenberg* Select. T. II. p. 60r.

(u) *Ioannes Spieileg.* p. 392. quas deinde litteras *Rex Ludovicus* confirmavit l. c. p. 405.

(x) *Annal.* Colmar. ad h. a.

(y) *Lunig.* Corp. Jur. Germ. T. II. p. 24-25.

(z) *Frisii* Histor. Würzburg.

(a) *Chron.* Colmar. p. 55.

tamen non desit suos fidelissimos in *Germani* instigare, ut *Regi Germanico* facerent negotium, illumque a finibus *Franciae* arcerent. Cujus quidem seditionis tuba in *Alsatia Conradus Lichtenbergicus*, Episcopus Argentinensis habendus est. Etenim hic ex consilio *Alberti* jam a. 1293. defectionis *Colmarie* fuerat auctor, quæ *Adolpho* morem gerere recusans, fidem *Conrado* Episcopo, ex partibus *Alberti* stanti, addixerat. Neque tamen, expugnata *Colmaria*, *Rex Conradum*, ut meruerat ultus est, sed cum ille supplex veniam peteret, impetravit, quod voluit, pace mutuo jurejurando confirmata. (b)

At hujus gratiæ immemor *Conradus*, rursus auctore *Alberto*, iniiit consilia *Adolphi* opprimendi, certior factus de insidiis, quæ hoc tempore illius dignitati & vitæ structæ fuerant *Pragæ*: quæ res Episcopo invidioso addebat animum.

Itaque Episcopus novas moliebatur turbas: quem alii, magna sibi in amicitia *Alberti* præsidia fore, existimantes, temere secuti sunt, in quorum numero fuerunt, Episcopus *Constantiensis*, Comites *Leiningenses*, *Biöntini*, *Friburgenses*, Comites *Ochsensleinii*, & *Hohenlöenses*, ipsum oppidum *Argentoratum*. (c)

Qui igitur non solum bellum *Colmarie* denunciabant, sed etiam alia *Alsatia* oppida oppugnare cœperunt, causam interferentes, se procuratori Imperiali *Perghemio* esse infestos, quod injustus & crudelis esset. (d)

Etsi igitur erant multa, cur diutius *Adolphus* in *Alsatia* moraretur, tamen rebus pro summa necessitate constitutis, tempus admonebat, has iterum terras relinquere.

Namque audiens, *Regem Angliæ* d. XXII. Aug. cum quingentis magnis navibus, sex millibus militum, & equis dextrariis, & multa pecunia venisse in *Flandriam*, properabat ad partes *Rheni* inferiores memor fœderis, suas copias *Anglicis* conjuncturus. (e)

Rex igitur reditum suum maturans, ut socio suo, *Regi Angliæ* sine mora subveniret, jam *Calendis Septembris Schletstadii* versabatur: ubi *Monasterium Maulbrunense*, in Ducatu *Würtembergensi* situm, in fidem recepit suam.

Eodem loco & die *Henrico*, viro nobili de *Westhofen*, feuda sua, quæ in vico *Baldeburnen* possederat, liberaliter contulit. (f)

At

(b) Schediasma II. p. 44. seqq.

(c) Lehmanni Chron. Spir. p. 582.

(d) Annal. Colmar. ad h. a.

(e) Annal. Colmar. 1. c. In decollatione Joannis Baptistæ venit Rex Angliæ in Flandriam cum quingentis magnis navibus, cum sex millibus militum, cum equis dextrariis, & tulit secum multam pecuniam, quinque annis exercitui copiosam.

(f) Documenta Würtemb. p. 501.

At ille *Schletstadii* expertus, *Episcopum Argentinensem* de quo supra dixi, consilio Ducis *Alberti* depravatum, ut *Regem Franciæ* adjuvaret, sibi infidias facere; dubitabat, per partes *Episcopi* descendere, sed profectus in *Brisacum*, in navi, cum paucis *Germershemium* incolumis pervenit. (g)

Inde sine mora in terram *Coloniensem* se contulisse videtur, ubi habebat novum *Archiepiscopum Wicboldum* sibi & Regi *Angliæ* amicissimum, apud quem facilius auxilium *Eduardo* ferendum curare licebat. Etenim die VIII. Sept. in *Herden*, ut opinor, arce quadam *Coloniensi*, versabatur, ubi strenuum virum, *Henricum de Fleckenstein* fecit *castrensem* apud *Hagenojam*, promissis centum marcis auri, pro quibus illi officium *scultetatus* & partes *Curie* in *Surburg*, cum omnibus bonis, quæ huc pertinebant, oppignoravit. (h)

Sed *Adolphus* in *Archiepiscopatu Coloniensi* brevi tempore moratus, reversus est in *Palatinatum*, ubi plures appetebat societates. Fortassis etiam magna illius exercitus pars in his regionibus resedit, qui iussu imperatoris sui expectabat. Quare ex terra *Coloniensi* paucis post diebus reverterat *Adolphus Germershemium*, ubi d. XIII. Sept. civibus *Spirensibus* concessit *Privilegium*, ut non extra civitatem suam ad iudicium curiæ Imperatoris evocari deberent, nisi denegata iustitia.

Eodem die *Spira*, postquam *Spirenses* questi fuerant, aquam, quæ dicitur *Spirbach*, contra privilegium *FridERICI II.* pro molendino Imperiali deduci, seque hac re maximo affici damno, *Adolphus* illud privilegium a di-

(g) *Chron. Colmar.* p. 55. Rex Romanorum, volens adjuvare Regem Anglorum, Alsatium perrexit, D. *Theobaldum*, Comitem *Phirretarum*, *Advocatum* terræ constituit & ad inferiores partes descendere festinabat. Cum autem in *Selecstatt* pervenisset, dicebatur ei, quod *Episcopus Argentinensis* infidias sibi possuisset, & quod Regem *Franciæ* juvare vellet, per partes *Episcopi* descendere non audebat, sed se in *Brisacum* contulit, & in navi cum paucis descendit, in *Germisheim* pervenit, & sic de manibus *Episcopi* se defendit.

(h) Ex impresso: Factum pour Mr. Albert Ernest Prince du St. Empire & d'Oettingue &c. dans l'instance pendante cy devant au conseil souverain d'Alsace d'entre Mr. le Procureur General du Roy au dit conseil, & Mr. le Prince de Rohan d'un part: & les heritiers de feu le Sieur de Fleckenstein, d'autre.

Nos ADOLFVS DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ad universorum sacri Romani Imperii fidelium notitiam volumus pervenire, quod nos attendentes obsequia, & fidei puritatem, quibus strenuus vir *Henricus de Fleckenstein* fidelis noster dilectus, erga nos & Imperium semper existit indefessus, sibi centum marcas auri permittimus daturos pro quibus sibi & suis heredibus officium nostrum *scultetatus*, & partes curiæ nostre in *Surburg*, cum universis pertinentiis & juribus suis duximus obligandos, te-

U

nen-

a divo Imperatore datum ita renovavit, ut civibus aqua restitueretur, eoque loco illud molendinum Imperiale non amplius restaurandum juberet. (i)

Postridie *Spira* *Adolphus* cum oppidis *Wormatia* & *Spira* foedus icere cepit, sanctissime colendum. Rex utrisque oppidis suam singularem promittens fidem, omnia privilegia a divis Imperatoribus impertita confirmat, atque nonnulla addit. Senatus vero & cives utriusque oppidi fidem & operam suam contra *Adolphi* hostes praestandum religiose pollicentur. (k)

Eodem tempore idem privilegium, quo oppidum *Spira* extra civitatem suam ad jus curiae Imperialis non evocari debet, oppido *Wormatiae* largitus est *Adolphus*. (l)

Quibus constitutis, *Rex Romanus*, foederis sui haud oblitus, *Eduardo* Anglico cum equis bis mille phaleratis fuit auxilio, quorum inprimis *Rex* Anglorum in Flandria eguisse videtur. (m)

An vero ipse *Adolphus* his copiis, quas in *Flandriam* miserat, adfuerit, non liquet: plurimi id accidisse negant. Et quid mirum, id fieri non potuisse, cum *Rex noster* innumeris difficultatibus, de quibus infra dicemus, illo tempore in *Germania* esset circumventus.

Neque tamen inter alias turbas *Nassovius* animum abjecit, plures copias *Eduardo* mittendi auxilio, & communem hostem adoriendi. Postquam enim

nendos, tam diu, pro castri feudo, quosque sibi vel heredibus suis praedictae centum marce vel successores nostros in Imperio fuerint perfolute. Quibus solutis, praedictus *Henricus* & heredes sui de illis praedia comparabunt, & illa pro Castrensi feudo apud *Hagenojam* deservire perpetuo tenebuntur, dantes ipsis has litteras in testimonium super eo, sigilli nostri robore communitas. Datum in *Herden* anno Domini 1297. indict. X. VI. id. Sept. regni vero nostri anno secundo.

(i) *Lehmanni Chron. Spir.* p. 584. *Lunig. part. Spec. IV. contin. II. Theil.* p. 475.

Mosers Reichstädtisches Handbuch, P. II. p. 711. Littera igitur, quibus pro molendino removendo *Spirensibus* privilegium concessit, *Spira* dicuntur datae. Cum vero aliud privilegium, quo *Spirenses* a judicio extraneo liberantur, a rege *Germersheimi* impertitum legatur, quaeritur, utro loco Caesar illo tempore versatus sit, an non uno die *Germersheimi* & *Spira* moratus sit. Quod posterius vix credi potest. Quam difficultatem *Lunig.* animadvertens, nullum diem adjunxit, sed tantum mensis Sept. facit mentionem, quem secutus est *Moser*. Cum vero uterque ex *Lehmanno* hauserint, etiam illi subscribendum est, qui d. XIII. Sept. adjecit. Quod eo facilius locum habet, si consideramus, litteras *ADOLPHI* non semper unum actum & datum habere. Ita die XIII. Sept. istae litterae *Germersheimi* datae esse possunt, quamvis *Spira* Rex moratus sit. Confer. de *Ludovig* ad aur. Bull. T. II. p. 1403. Ejusdem praefat. ad reliq. T. I. p. 43. 50. T. VII. p. 559. conf. *Schediasma* V. p. 97.

(k) *Lehmanni Chron. Spir.* p. 583. *Dumont* corps univers. dipl. T. I. p. 301. *Lunig.* Cod. Germ. dipl. P. I. p. 301.

(l) de *Ludovig* Reliq. T. II. p. 242. *Senckenberg* de evocationibus, p. 132.

(m) *Annal. Colmar.* ad h. a.

enim *Eduardus* viro nobili *Joanni de Knich & Regnerio* militi & *M. Richardo* dederat mandata ad nostrum, exploraturis, quid sentiret *Adolphus*, hic communicavit cum socio suo de bello Gallico, d. XVII. Octobr. *Andernaco* mittens ad illum litteras & legatos, qui eum faceret certiozem, nihil se esse prætermitturum, quod ad bellum Gallicum persequendum pertineret. (n)

Sed antequam hæc litteræ ad *Eduardum* perlatae sunt, inter illum & Regem Galliae condiciones convenerant, ut jam d. XVI. Octobr. de induciis transactis in *Anglia* publice pronunciaretur. (o)

Quas inducias, hoc modo confirmatas, *Eduardus* d. VI. Nov. in oppido *Gent* jussit publicari. (p)

Ex his igitur, quæ illis temporibus inter *Adolphum* & *Eduardum* familiarissime dicta scripta, communicata sunt, facile intelligitur, non quicquam a *Nassovio* esse commissum, quod esset alienum fœdere ab utrisque factò, at malevolentiam hominum facere, ut nonnulla durius, quam ab *Adolpho* facta sint, proferantur. (q)

Neque ferendi sunt, illi, qui temere calumniantur, *Adolphum* a Galliae rege pecunia corruptum, defecisse ab *Eduardo*: (r) hæc enim, quæ de amicitia *Adolphi* hastenus commemoravimus, testata sunt & illustrata.

U 2

Eduar-

(n) *Rymer*. l. c. p. 191.

(o) Idem l. c.

(p) Idem l. c. p. 192.

(q) *Albertus Argent.* p. 109. Rex Romanus infideliter agens, se non disposuit ad bellum (cum Francis.) conf. *Matth. Westmonaster.* p. 431. *Raynaldus* in continuatione ad Baronium p. 508. ita judicat. ADOLPHVS fidem Eduardo fefellit.

(r) *Thirithemus Chron.* Hirsaug. P. II. p. 67. Rex Angliæ cum magno suorum exercitu se personaliter venturum promisit in Flandriam, Comiti adversus Gallos in auxilium. Rex tamen ADOLPHVS non venit in Flandriam, sicut promiserat, sive, quia corruptus pecunia a Rege Gallorum fuerat, ut multi opinantur, sive ut alii voluerant, rem in melius exponentes, quia Dux Austriae *Albertus* per Gallos munere conductus, illum aggressus est bello, & propterea necessitate præoccupatus venire non potuit. Quam causam *Eduardus* Rex Angliæ cernens, se ab ADOLPHO deceptum, sive ex voluntate factum sit, sive ex necessitate, non determinamus, & quoniam æquis viribus Gallo congredi non posset, cum festinatione reversus est in Angliam, relinquens Comitem Flandriæ male provisum, & in multa necessitate male positum.

Egidius de Roya in annal. Belgicis p. 45. *Philippus* pulcher misit ADOLPHO ad *Coloniam* quatuor summarios, qui accepta pecunia promisit, quod nullam partem invaderet.

Paulus Æmilius de festis Francorum p. 248. Anglus Francusque fœdere, affinitate juncti, in perniciem ADOLPHI Cæsaris incubuere. Francus, quod, ut se armis oppugnaret, pecuniam acceperat. Anglus quod fidem non servasset, ac multo multoque minores, quam convenisset, copias Flandricæ bello

Eduardus sine dubio secum reputans difficultates, quibus premebatur *Adolphus*, impraesentiarum paci intervendum existimavit. (*)

Manifestum enim est *Adolphum* hoc anno contra *Regem Gallie* plura conatum fuisse, *Regique Anglico* majora attulisse auxilia, nisi isto tempore nova & terribilis pestestas illi in Germania impendisset, quæ illum admovebat, ut plurimam suorum militum partem in finibus *Germanie* contineret, ad periculum; quod hostes interni paraverant, depellendum. (s)

Namque hoc anno contra *Adolphum* ab illius inimicissimis, imprimis *Alberto Duce Austriæ*, & *Gerhardo Archiepiscopo Moguntino* tanta conspiratio *Pragæ* erat facta, ut noster intelligeret, eo processum, ut regnum aut relinquendum esset, aut armis retinendum. De qua vero conjuratione priusquam commemorem, pauca supra repetam.

Igitur *Albertum* Ducem Austriæ nimis alta semper cupientem, cogitatione & opibus elatum, post mortem patris *Rudolphi* lubido maxima invalerat, imperii Germanici capiundi: neque id, quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Itaque cum spe sua delusus, se comiti inferiori postponi, videret, accidit, ut in *Regem Adolphum* implacabile fusciperet odium. Ea quasi materies omnium malorum fuit. Hinc etsi amicorum suorum consilio vix commotus, jura feudorum ab *Adolpho* recepisset, ne regionibus, quas patris industria virtusque contulerat familia, cum irreparabili detrimento excideret, tamen ex isto tempore arcana odia alebat, opportunum expectans tempus, opprimendi *Adolphi*. Neque tamen ignes odii ita latebant, ut non interdum proruperint. Enimvero cum postea *Adolphus*, ut supra diximus *Albertum* Austriacum affinitate sibi devincire studeret, & filio suo Ducis filiam nuptum collocari vellet, legati talem repulsam tulerunt, quæ paupertatem *Nasovii*

bello misisset: nec se cum illo ad *Brugas*, antequam in potestatem Francorum venirent, ex composita junxisset.

Jacobus Maser annal. Flandriæ p. 86. Anglus continebat se *Gandavi*, *Galus Brugis*, expectabatur vehementer ab *Eduardo* & *Guidone ADOLPHVS* Angustus cum justo exercitu Germanorum. Is magnam & ab *Eduardo* & *Guidone* acceperat pecuniam, ut juxta formulam initi fœderis in *Flandriam* descenderet. *Adolphus* apud *Coloniam Agripp.* restitit, quo ad eum de consilio *Joannis Hannovii* misit *Pulcher Rex Jacobum Catellionensem Atrebatensis* fratrem cum grandi pondere auri, ut sic eum a *Flandria* averteret: simul *Albertum Ducem Austriæ* non minore ære conduxit, qui bellum ei faceret atque in *Germania* ipsum detineret.

(*) *Trithemius* l. c.

(s) *Henricus Stero* ad h. a. *ADOLPHVS* Rex Romanorum eodem anno preparans se cum militia ad invadendum *Regem Franciæ*, impeditur, quia *Moguntinus Archiepiscopus*, *Rex Bohemiæ*, *Albertus*, *Dux Austriæ*, duo *Marchiones de Brandenburg* & *Dux Saxonie* congregati in die *Pentecostes*, (quo idem *Rex Bohemiæ* per *Dominum Moguntinum* coronabatur *Pragæ*.) condixerunt diem.

fovi fugillaret. Quæ res, ut facile existimari potest, Austriacum ipsi reddidit invisum. Idem auctor defectionis plerorumque circa Alsatiam provinciarum & civitatum auctor habendus est: qui cum in obsidione *Colmaria* in auxilium vocaretur, venire recusavit. (t)

Ipsè Rex quidem, bello in *Alsatia* composito, cum *Alberto* Austriaco in gratiam redire studebat, ad quod perficiendum, opera *Ludovici*, *Comitis Palatini*, qui *Alberti* sororem habebat in matrimonio, & cujus filius erat gener *Adolphi*, uti volebat: sed hic *Ludovicus*, infectis rebus, in morbum incidit, quo etiam paullo post a. 1294. extinctus est. (u)

Interim secutum est bellum *Thuringicum* & *Misnicum*: in quo quidem *Austriacus* nostrum etsi non infestaverit armis, quia hoc tempore cum hostibus in *Suevia*, *Helvetia*, *Austria*, *Hungaria*, bella gravia gerebat; (*) tamen regem Gallia contra nostrum clam incitare non desiit, & cum illo fœdus inire constituit. Nihil vero opportunius Regi Gallia potuit accidere, quam *Alberti* odium. Qua oblata occasione *Philippus Pulcher* magnis muneribus impulit *Austriacum*, ut domi vexando, invasionem *Nassovii* a finibus Gallicis amoliretur. (x)

Ipsè quoque *Adolphus* indignationem *Alberti* auxit, cum non solum criminationibus *Archiepiscopi Salisburgensis* aures aperiret, sed etiam Dominum de *Swainave*, virum probum, ac solemnem ministerialem, terris & finibus suis ab *Austriaco* expulsum, recepisset. (y)

His atque aliis rebus *Alberti* animus ferox ita agitabatur, ut cognatorum suorum, & aliorum voluntate reconciliata, *Adolphus* ab imperio removeretur, & illud, quoad ejus fieri posset, in se transferretur. In quo negotio vel maxime *Gerhardum* Moguntinum habebat adiutorem, cui non solum inerat plurimum astutia sed etiam infatigabilis pecunia cupidus, quæ efficiebat, ut illum *Austriacus* multo auro redimere posset. (z)

Ipsa autem causa odii, quo *Gerhardus* persecutus est *Adolphum*, altius repetendæ sunt. *Moguntinus* erat inprimis auctor, *Adolphum* ad regiam dignitatem evehendi: cum enim reliqui principes Electores *Gerhardo* soli potestatem eligendi Regem concessissent; constat, illum *Adolphum* *Nassovium* summæ rerum destinasse, omnes unanimiter in ipsius sententiam ivisse,

U 3

(t) Schediasma I. p. 12. seq. Schediasma II. p. 33. seqq.

(u) *Henri Siero* p. 399. in T. I. *Freheri* Avent. annal. Boj. p. 446.

(*) *Sæberlin* R. Hist. B. II. p. 626. seqq.

(x) *Albertus Argent.* p. 110. *Verb. de Rov* in annal. Austr. p. 57.

(y) *Chron. Pappenheimii* Austr. ad a. 1296. Dux Austriae *Albertus*, inquit, expulit de terris & confinibus suis probum virum ac solemnem ministerialem Dominum de *Swainave*, contractis castris & destructis munitionibus suis. Qui transtulit se ad Regem Romanorum & verbis ac consiliis suis erga Regem prædictum multa procuravit Duci præfato. conf. Schediasma II. p. 35.

(z) *Aventinus* L. 7. p. 450.



ivisse, & deinde *Moguntinum*, cum *Adolphus* pro variis expensis pecuniam paratam non haberet, castra & villas ejus nomine oppignorasse, sperantem, fore, ut *Adolphus* omnia nutu illius ageret. Atque ut illa, quæ *Adolphus* deberet *Moguntino*, eo testatiora essent, hic *Nassovio* proposuit litteras, quas ille, temporibus inferviens, confirmavit. Neque dubium est, quin *Adolphus* initio regiminis *Gerhardo* multa officia præstiterit, quæ salva religione poterant patrari. Postquam autem Rex illius iniquas postulationes non diutius tulit, sub ejus quasi tutela detineri turpissimum existimabat, inter alia in Comitum *Hanoviæ Uirum*, varia beneficia contulit, quæ ille nolebat; factum est, ut *Nassovius* bilem *Moguntini* moveret. Neque æquo animo ferebat, se in consiliis dandis *Archiepiscopis*, *Coloniensi* & *Trevirensi* posthaberi, nihil ad se ex pingui stipendio, ab *Eduardo* accepto, transferri. (a)

Igitur ille odium suum callide occultans, muneribus *Alberti* expletus, quærebat locum, quovis modo nocendi *Adolpho*. Jamque venerat d. II. Jun. dies Pentecostes, quò accidit, ut *Gerhardus* *Moguntinus* pro jure suo *Wenceslao* Regi *Bohemiæ*, qui erat affinis *Alberti*, *Pragæ* coronam imponeret. Circiter triginta octo Principes splendorem huic solemnitati conciliabant, in quibus, præter *Moguntinum* & *Albertum* *Austriacum*, fuit *Albertus*, Princeps Elector *Saxonie*, *Hermannus*, Marchio *Brandenburgicus*, *Otto*, Elector & Marchio *Brandenburgicus*. Atque in hoc Principum conventu *Moguntinus* & *Austriacus* *Adolphum* ex altissimo dignitatis gradu præcipitandi prima consilia proponebant. Varia, quæ infra audiemus, illi dabantur culpæ, cur dignitate regia indignus judicaretur. Quum igitur plerique, qui huic celebritati aderant, *Alberto* affinitatis vinculo essent conjuncti, facile sermonibus *Gerhardi* instigati, in gratiam *Alberti*, conjurationem præparant. Ad quam rem accuratius agendam tempus decernitur, quo *Egram* conveniant, ut contra *Adolphum* conspirationem inceptam perficiant.

Rex vero *Romanus*, cognitis inimicorum consiliis scelestis, sine mora obstitit illis, fortassis mittendo copias ex *Misnia*, (*) ut in loco præfinito convenire, & conspirationem perficere nequirent. Quum igitur consilii sceleris *Egræ* convenire prohiberentur, in alio oppido *Bohemiæ*, nomine *Chadan* convenuerunt. *Moguntinus* autem qui in hunc locum se conferre statuerat, per militiam *Adolphi* in quodam castro ita fuit obsessus, ut hic illi

(a) Schediasma I. p. 13. seqq. Schedias. II. p. 30. seq. 42. Schedias. III. p. 53. 70. *Latomius* in Catalogo Archiepiscoporum *Mog.* apud *Menken* Script. T. III. p. 523. scribit: Fuit *ADOLPHUS* aliquamdiu obtemperans *Episcopo* bene monenti, adeo, ut vulgo diceretur: *Der Psaffenkönig.*

(*) *Säberlin*, l. c. p. 669.

illi concilio in *Chadan* interesse non posset, adeoque factio, quod caput aberat, infecta re, discedere cogeretur. (b)

Neque tamen inimicissimorum animus ferox leniebatur, sed quovis modo inceptum anno subsequenti perficere studebant.

Ex hoc autem tempore, *Adolpho*, qui non ignarus erat mali consilii, propter novum periculum copias suas dividere ita placuisse videtur, ut unam partem auxilio *Regis Angliæ*, alteram defensioni contra hostes internos in *Germania* destinaret. Itaque *Rex* de utraque re sollicitus, moliri, parare atque ea in animo habere, quibus, quam maximas posset, copias armaret. Quam ob causam illum modo in locis *Rheno* finitimis, modo in *Alsatia* & alibi deprehendimus.

Cæterum per magnam hiemis partem in terris suis hereditariis commoratus esse videtur, sicut litem de piscuariis quibusdam inter virum nobilem de *Falkenstein* & *Comitem Catimelibocensem* a Rege *Rudolpho* quondam adjudicatam, d. X. Nov. *Wisbadii* auctoritate sua confirmavit. (c)

Neque longe aberat a terra *Nassovica* cum d. XXX. Nov. *Francofurti* tribus civitatibus *Sylvaticis*, *Suitiensi*, *Uraniensi* & *Sylvaniensi* vetera, jura & privilegia haberet rata. (d)

(b) *Thulemar* de octoviratu. p. 132. *Henr. Stero* ad a. 1297. *H. Rebdorf* ad a. 1297. *Hist. Austr. plen.* ad a. 1297. *Annal. Colmar.* ad a. 1297. ubi hæc leguntur: *Rex Bohemiæ* filius *Ottobari* curiam celebravit, qualem nunquam aliquis *Regum* nec *Astyrius* nec *Salomo* dicitur celebrasse. — *Sifridus* in epitome: eadem solemnitate *Electores* una cum *Archiepiscopo Moguntino* & *Rege Bohemiæ* decreverunt destituere *Regem Romanorum ADOLPHVM*, plures articulos contra ipsum producentes. — *Gerhard de Rov* L. II. p. 58. *Moguntinum* ab *Alberto* corruptum fuisse scribit *Aventinus*. — Ipsos vero *Bohemos* non in *ADOLPHVM* conspirasse docet *Schminck* in notis ad *Goldastum* p. 219. Quamquam illorum *Regem* in numero conjuratorum fuisse, apertum est.

(c) *Eßlor* in *annal. Hass. Coll. II.* p. 240.

(d) *Tschudy* P. I. L. IV. p. 215. seq.



Cætera de vita *ADOLPHI*, quæ in aliud tempus differo, prosequi præsens rerum ratio prohibet. *SCHOLASTICÆ* nimirum *lustrationis solennia* sunt indicanda. Quare litterarum *FAUTORES* atque *AMICOS* majorem in modum rogamus, ut die, quem supra diximus, hora matutina octava ad examen solenne (minus solenne paucis ante diebus habebitur,) frequentes conveniant, atque hora secunda pomeridiana declamantes & colloquentes, pro more, benevole audiant.

GYM-

GYMNASII CIVES

I. Ex Prima Classe declamaturi prodibunt:

- 1) Jo. Aug. Ludolph KAISER, Welteroda-Naffovius, de *virtutibus veterum Germanorum*. Carm. Germ. Valed.
- 2) Ludovicus Aug. Wilh. SELL, Klingelbaco-Haffus, de *animo Sorte sua contento*. Germ. Valed.
- 3) Franciscus Georg. Ludovicus de St. GEORGEN, Wisbadensis, de *ambitione detestabili*. Carm. Lat.
- 4) Fridericus Christian. HANDEL, Wisbadensis, de *tonitru benigno*. Carm. Germ.
- 5) Jo. Daniel WITTE, Lutra-Palatinus, de *cupiditate terras expugnandi*. Gall.
- 6) Christian. Wilh. HENCK, Idsteinensis, de *moderandis animi commotionibus*. Lat.

II. Ex Classe Secunda, ductu commilitonum superiorum, de *lusu indecente* Sermonem inter se instituent:

- 1) Ernest. Gerhard. Cornelius PAGENSTECHER, Ober-Neiffa-Naff. Araufiensis.
- 2) Fridericus Henr. Christian HAGEMANN, Wisbadensis.
- 3) Georg. Christian. HAMMES, Braubaco-Haffus.
- 4) Matthæus CHRIST, Werftadio-Palatinus.
- 5) Carol. Francisc. Georg. Ernest. SCHLOSSER, Schönenberga-Hachenburgensis.
- 6) Carolus Wilhelm. SCHRAMM, Decia-Naffov. Araufiensis.

III. Ex Classe Tertia & Quarta de *anagnose Pomponii Attici* inter se confabulabuntur:

- 1) Georg Theodor MENCKE, Idsteinensis.
- 2) Ernest. Ludov. Fridericus SIEGEN, Cattimeliboco-Haffus.
- 3) Christian. Laurentius EBENAU, Nafftadio-Haffus.
- 4) Hermann. Jacob. PAGENSTECHER, Siga-Naff. Araufiensis.
- 5) Carolus Aug. Christian. VITRIARIUS, Partenheimio-Palatinus.
- 6) Jo. Georg. Fridericus LUDEWIG, Langen-Schwalbaco-Haffus.
- 7) Henr. Wilhelm. Anthon. GENTH, Kirberga-Naffovius.



Ne 1627. g

KO78

ULB Halle


3

006 305 962



n. 0





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

SCHEDIASMA SEPTIMUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,

A. M C C X C V I I .

Q V O
A D L V S T R A T I O N E M
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S

A V T V M N A L E M ,

D. VII. MENSIS SEPTEMBRIS, A. R. S. c. l. o. l. o. c. c. l. x. x. v. i. i. i.

H A B E N D A M ,

F A V T O R E S A T Q V E A M I C O S
R E I S C H O L A S T I C A E

O M N I O B S E R V A N T I A I N V I T A T

J O . P E T R . W A G N E R ,
P R O F E S S O R E T R E C T O R G Y M N A S I I .



W I S B A D I I ,
I M P R I M E B A T I O . S C H I R M E R , A V L . E T R E G I M . T Y P O G R A P H V S .

